Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

forma sancte crucis supra claritatem solis
splendentem: et in medio cornuum imagi
nem domini nostri salvatoris ihesu christi. Qui eci
am humanam vocem imponens cervo: ad vo
cans placidam dixit ei. O placida: quid me
insequeris? Ecce tui gratia veni in animali
isto: et ut appaream tibi.
Ego sum christus quem ignorans colis.
Elemosine quas facis indigentibus coram
me steterunt. et veni ostendere tibi per istum
cervum. et pro illo te venari. et capere te reti
bus misericordie mee. Non enim iustum est di
lectum meum propter bona opera servire demo
nibus immundis et simulachris. vita caren
tibus. et vacuis et insensatis. Ob hoc ergo
veni in hac specie sicut nunc me vides. sal
vare genus humanum. Hec audiens ma
gister militum timore repletus est: cecidit
de equo in terram. Hora vero transacta ad se re
dyt et surrexit: et cautius volens videre quod
apparuerit ei spectaculum: ait intra se. Que
est ista visio que apparuit michi? Revela
michi quid loquaris: ut sic credam in te. Et
dixit ad eum dominus. Intende placida. Ego
sum dominus ihesus cristus qui celum et terram
ex nichilo feci: qui indiscretam materiam
distinxi: qui lucem oriri feci. et tenebras
divisi. Ego sum qui tempora et dies et
annos constitui. ego sum qui hominem for
mavi de limo terre: qui propter salutem huma
ni generis in terris apparui in carne: qui
crucifixus et sepultus. et tercia die surrex
i. Hec audiens magister militum. cecidit ite
rum in terram dicens. Credo domine quia tu es
qui fecisti omnia. qui convertis errantes
et vivificas mortuos. Dixit ad eum dominus.
Si credis. perge ad civitatem et audi pontificem
christianorum. et quere ab ipso baptismi gratiam.
Respondit placidas. Domine: si iubes me ut ista re
nunciem coniugi mee. et filiis meis. ut et

ipsi credant? Dixit ad eum dominus. Renunci
a illis: et accipientes signum baptismi
mundamini a pollucione ydolorum. et rursus
veni huc et apparebo tibi: et demonstrabo
futura. et patefaciam tibi salutaris my
steria. Descendens ergo de monte. factaque
nocte cepit exponere coniugi sue omnia que
vidit. Postquam vero complevit omnia exponens
visionem. et que ei dicta sunt. exclamavit
uxor eius dicens. Domine mi. crucifixum deum
vidisti. quem christiani colunt? Ille enim
est solus deus verus. qui per talia signa
vocat ad se credentes. Tunc dicit ad virum
suum. Transacta nocte. et ego vidi eum
dicentem michi. Crastino tu et vir tuus et
filii tui venietis ad me. Et nunc cognovi
quia ipse est ihesus cristus. Voluit ergo tibi
tali figura mirandi spectaculi. per cervum
tibi apparere. ut eius mirari possis pote
ciam: credens in eum. Veni ergo hac noc
te et eamus. et impetremus sanctum baptisma
christianorum. per hoc enim eius proprii fiunt qui
in illum credunt. Dicit ad illam placidas.
Hoc et michi dixit ille qui visus est michi.
Media vero nocte inscientibus famulis suis
abierunt ad sacerdotem christianorum. et nuncia
verunt omnia ei que facta fuerant vel dic
ta ad eos. Et confessi se credere in dominum
ihesum cristum confitentes. supplicaverunt
ei ut daret eis signaculum baptismatis.
Qui alacri gaudio repletus est. et glo
rificavit dominum deum qui vult omnes sal
vos fieri. et ad cognicionem veritatis ve
nire. accipiens cathezizavit eos. et
exponens eis misterium fidei. baptiza
vit eos in nomine sancte trinitatis. et placi
dum quidem vocavit eustachium. uxorem vero
eius theophistam. et filios eorum primoge
nitum vocavit agapitum. et alterum theo
phistum. et contulit sacramentum domini nostri ihesu